



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

accipere, aut votū emittere idem videtur esse quod religionem profiteri: tamen, quia nemo potest profiteri nisi prius habitu suscepto, qui hanc suspensionem impediret, a fortiori impediret professionem, & consequenter hanc censuram incurreret. Posset etiam quis opinari, illa duo aliquid amplius quam professionem includere. Nam professio specialiter videtur significari per veli suspensionem, quia professione solet velum fœminis imponi: votū autem emittere in rigore generalius est. Et ideo videtur hęc censura extendi ad omnes, qui impediunt fœminas sine iusta causa, ne votum simplex castitatis, aut religionis emitant. Nihilominus non existimo Concilium fuisse locutū de priuatis votis: alias non tam confuse de emissionē voti fuisset locutum: sed illam secundam partem opinor addidisse vt comprehenderet omnem modum seu statum religionum, seu personarum monialium, nam aliqua sine suspensione veli statum illum assumunt.

Septima excommunicat. contra fouentes Monomachiam.

Septima habetur in eodem Concilio eadem sess. 25. cap. 19. de Reform. Vbi excommunicat omnes temporales dominos, qui locum ad monomachiam in suis terris concesserint: quam etiam extendit ad ipsos, qui in duello pugnant, & eos qui consilium dederint, aut suaserint, & ad spectatores. Verum est, solum in prima clausula, quæ est cōtra concedētes locum ad hanc pugna, poni verbum, eo ipso, quod significat censuram ipso facto. De pugnatibus vero & patrinis solum dicitur, Excommunicationē, ac bonorum omnium proscriptionē, aut perpetuo penā aliam incurrant. De aliis vero dantibus consilium, aut spectantibus dicitur, Excommunicationē, & perpetuam maledictionis vinculo teneantur. Quæ verba magis ambigua sunt, quia nec additur, eo ipso, & verba incurrant, & teneantur, cum non sunt indicatiui, sed imperatiui modi, non videntur significare sententiā latam, sed ferendam per iudicem. Nihilominus tamen certum est contra hos omnes ferri excommunicationē ipso facto. Quod ita videtur exposuisse Gregorius XIII. in Motu proprio de hac re, & incipit, Ad tollendam, estque 82. inter decreta eius in collectione Romana, vbi referens hoc decretum æque ait Conc. Tridentinum excommunicationem tulisse in omnes has personas. Vnde verba illa incurrant & teneantur, licet imperatiua sint, non tamen diriguntur ad iudicem, neque eius actionem requirunt, sed ad ipsum reum, quem per imperium efficax ligant. Dictus autem Gregorius extendit hanc censuram ad priuatum duellum, quod enim illa sit extensio, & non tantum declaratio, satis indicat verbum statumimus, vt ponderauit Nauarrus. Statuit ergo Pontifex, vt omnes qui ex condito, statuto, tempore, & in loco conuenito, monomachiam commiserint, etiam si absque aliis vilitatis ceremoniis, & solennitatibus id faciant, eadem censura, eisdemque poenis teneantur: & similiter dominos locorum huiusmodi permittētes, aut quantū in se fuerit non prohibentes, & omnes mandantes, instigantes, auxilium, & consilium, & fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, comitatum, & alia subsidia scienter ministrantes, aut ex proposito spectatores, vel socios quouis modo sese præbentes excommunicat.

Octauo reperitur in Bulla Pij III. in confirmationem Concilij Tridentini editam. Vbi omnibus personis generatim prohibet commentarios, aut interpretationes suas in decreta Concilij edere sine autoritate Pontificis: excommunicatq; ipso facto omnes personas Prælatos inferiores illud præceptū violantes. Quod intelligēdum est de propriis commentariis, Glossis, aut scholiis super ipsius Concilij decretum, non est prohibitum illud interpretari, vt constat ex vsu, & ex necessitate: vix enim posset alia ratione tradi Theologica doctrina: ac denique ex verbis ipsiusmet Pontificis, quæ in rigore non aliud exigunt.

Præter has excommunicationes inueniuntur alie latæ in Extrauagantibus, seu propriis motibus aliquorum Romanorum Pontificum, quas specialiter referre, & exponere non cenfeo necessarium, quia mihi non constat eas esse receptas, vt est illa quam tulit Pius V. circa taurorum agitationem in sua Extrauag. 47. quæ incipit: De salute plebis: quam posteriores Pontifices partim abstulerunt, partim mutarunt. Et plures alie habentur inter Motus proprios illius Pontificis, vt patet in 47. & 75. & in aliis quos Nauarrus indicat. Sixtus etiam V. plures excommunicationes tulit, quamuis plures earū reseruatae sint, quas supra ex parte tetigimus: aliquæ vero reuocatae sunt, vel nunquam etiam in vsum redactæ. Quapropter in particulari oportebit statum rei, & consuetudinem consilire, nam, cum hæc ad factum pertineant, non possumus de eis doctrinam tradere. Quando vero constituerit constitutionem vim suam & efficaciam retinere, diligenter perpensis verbis eius, facile erit ex principiis positis, & ex dictis circa alias similes constitutiones, modum vnicuiusque censuræ, & proprietates, seu effectus eius intelligere.

DISPUTATIO XXIII.

De Excommunicatione minori.

EX PEDITIS his, quæ de excommunicatione maiori dicta occurrerunt, breuiter tractari posuit ea, quæ propria sunt excommunicationis minoris, cuius definitionem iam supra tradidimus explicando differentiam inter eam, & excommunicationem maiorem. Nunc ergo effectus huius censuræ, diuisiones eius, ac causas & reliqua omnia, quæ de censuris in communi diximus, percurramus.

SECTIO I.

An una sit tantum excommunicatio minor, & quæ sit eius ratio.

DOCTORES communiter vnā tantum speciem excommunicationis minoris assignare videntur, & rationem eius in hoc constituunt, quod sit censura priuans Sacramentorum participationem: sic enim definitur in capit. penultimo, de Sentent. excommunicat. & significatur in capit. vltimo, de Clerico non ordinato ministr. Docent Theologini 4. d. 18. Summistæ, præsertim Caietanus in verb. Excommunicatio minor. Nauarr. cap. 27. num. 1. & 24. & alij communiter. Huic vero doctrinæ oppositū videtur lex nostri regni partit. 1. titul. 8. l. 5. Quæ duas distinguit species minoris excommunicationis. Vna est quam diffiniuimus: alia est quæ priuat communicationem hominum, non tamen participationem Sacramentorum: vbi Gregorius Lopez plura decreta pro hoc secundo membro citat. Tamen solum c. 5. qu. 2. aliquid facere videtur: de reliquis vero dicemus statim. Dico ergo, & hoc posterius membrum non esse in vsu, & legem illam late loqui de excommunicatione.

munitione prout dicit quicumque penam, quæ separat hominem vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à diuinis officiis, vel à quolibet munere inter homines, vt patet exemplis, quæ in ipsa lege ponuntur, cum tamen priora sint potius interdicta quædam, vt infra videbimus, alia vero non pertineant ad proprias censuras.

Aliter datur ab aliis hæc distinctio: ita vt vna sit supradicta, quæ priuat passiuam perceptionem sacramentorum: alia vero quæ priuat communione quorundam fidelium tantum, respectu eorum quos priuat omni communicatione tam sacra, quam humana, ita vt neque illis dare sacramenta, neque ab eis recipere, nec in ius vocari ad testimonium, vel alium similem actum debeant. At vero respectu aliorum nulla communione priuatus est, & consequenter neque vsu, & participatione sacramentorum, cum ea possit ab aliis recipere, vel, si sacerdos sit, possit ipse rem sacram facere. Quod genus censuræ colligi videtur ex cap. *Placuit*. dist. 18. vbi de Episcopis, qui negligunt ad Concilium provinciale venire, & rationem impediendi apud Primatem non reddunt, dicitur, *Ecclesiæ suæ communionem debent esse contenti*. Excommunicantur ergo non integre, sed ex parte, & non priuantur simpliciter communicatione sacramentorum, qui in sua Ecclesia potuerant illa recipere, & cum suis subditis communicare: solum ergo priuatur communione comprouincialium Episcoporum: ergo illa non est excommunicatio maior, ergo est minor. Et similis habetur in cap. vlt. dist. 5. §. 8. indicatur in cap. 1. dist. 3. ibi: *Si vobis admonitis obedire distulerit, à vestro collegio excommunicatus abscedat, quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, à ministerio cessare debet*. Et in cap. 5. quæst. 4. ibi: *A communione cetera secedat, & trium dierum excommunicationem perferat*. cap. *Episcopi*, 11. q. 3. ibi: *Communio illi vsque ad tempus synodi à reliquis Episcopis denegetur*. cap. vlt. q. 2. ibi: *quandiu excommunicatus* (scilicet iniuste) non communicauerit suis Episcopis, idem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis. Hancque sententiam tenuit Richardus in 4. dist. 8. art. 7. q. 4. sentit Ioannes de Ligna in tract. de censuris, §. 11. & ex parte idem sentit Syluester verb. *Excommunicatio minor*. §. 1. Citantur etiam Felin. & alij.

Veruntamen licet in prædictis iuribus quoddam peculiare genus pœnæ feratur, quæ distincta est ab excommunicatione maiori, & à minori, prout traduntur in cap. penultimo de sententia excommunicationis, nihilominus, loquendo de excommunicatione, quæ proprie censura fit, & præsertim secundum præsentem statum, & consuetudinem Ecclesiæ non videtur necessarium, distinguere illam specie excommunicationis minoris, præter eam, quæ consistit in separatione à perceptione sacramentorum. Quia ratio harum censurarum tota pendet ex institutione: & Pontifices aliam institutionem nobis non declarant, vt patet ex d. capit. vlt. de cler. excomm. min. & cap. penult. de sentent. excomm. neque alius modus excommunicationis maioris iam est in vsu: non ergo alios distinguere, vel declarare necesse est. Fateor enim posse excogitari alium modum excommunicationis minoris, vt possibile, & non tantum vnum, sed plures. Et fortasse olim aliquis alius fuit in vsu: (licet hoc incertum sit vt iam dicam) nunc vero excommunicatio minor tantum in dicta priuatione morali consistit.

Adde præterea, illum modum excommunicationis, quæ prius priuatur aliquorum fidelium communicatione, & non omnium (licet admittatur esse) quandam excommunicationem maiorem, non respectu omnium, sed eorum, quorum communicatione aliquis priuatur: quia respectu eorum est priuatio totalis, id est totius communicationis tam in sacris quam in humanis. Sicut alias Scotus dicit, excommunicatum ab vno Episcopo ex vi prohibitionis eius solum priuari communicatione subditorum illius Episcopi, & nihilominus respectu talium personarum illam esse quandam excommunicationem maiorem, quia priuat omni communicatione, quæ priuare potest. Ita ergo censeri debet de illa excommunicatione, vnde neque illi bene accommodatur doctrina de excommunicatione minori, neque oportet aliud de illo genere excommunicationis dicere, nisi quod omnia dicta de excommunicatione maiori in ea respectiue locum habent; Adde, nunc non esse in vsu Ecclesiæ talem excommunicationis modum, & satis incertum esse, an aliquando fuerit: nam ille, qui indignus est aliquorum communicatione fidelium, omnium etiam est indignus, & quia suffragia, quæ in vno loco, vel à ministris quibusdam sunt nomine totius Ecclesiæ, quantum ad hoc eiusdem rationis sunt cum suffragiis, quæ in aliis locis, vel ab aliis ministris offeruntur: & ideo, qui excluditur à participatione suffragiorum communium alicubi, vbique excludendus est.

Quapropter probabile mihi est, quod notauit Glossa in dict. cap. *Placuit*: illam pœnam & alias, de quibus ibi fit mentio, non fuisse proprie excommunicationem: sed solum separationem quandam in negotiis, vel in aliis ministris, vt v. g. quod talis Episcopus non vocetur ab aliis ab consecrandum aliquem Episcopum, vel ad alia negotia tractanda. Sic etiam Glossa in dist. 1. cap. dist. 34. explicat illa verba, *excommunicatus abscedat*, scilicet, vt non intersit cum eis negotiis communibus. Sic exponi potest cap. *In loco*, vbi Glossa aduertit, illam tantum fuisse separationem à consortio fratrum, & addit Archidiaconus non fuisse separationem ab vsu sacramentorum: Quod inde etiam confirmatur, quia illi præscribitur trium dierum terminus, propria autem excommunicationis censura non habet definitum tempus: non erat ergo illa propria censura, sed alius modus pœnæ. Qualis etiam erat illa, de qua dicitur in cap. *Neminem*. dist. 45. *Si ita causam exigit clericus, triduo priuatur honore*, & c. Vnde eodem modo intelligitur cap. *Episcopi*, 11. q. 3. nam ibi etiam præfigitur tempus dum dicitur: *vsque ad tempus synodi à reliquis Episcopis communio illis denegetur*.

Adde præterea, interdum vocari excommunicationem in antiquis iuribus solum priuationem Eucharistiæ, cuius vsus per antonomasiam dicitur communio: quomodo accipi videtur illa vox in cap. *Nemo*, 11. q. 3. & in cap. *De presbyterorum*, 1. 7. q. 4. & indicauit Gratianus 11. q. 3. post cap. *Admensam*, §. *Euidenter clarus*. Victoria in Summa, materia de excommunicatione, n. 1. ita exponens cap. *Engelrudam*, 3. q. 4. De quo supra in principio materiæ de excommunicatione dictum est, & disput. de Censuris in comuni de eadem re plura diximus: & exposuimus alia iura quæ ibi annotat Victoria, & fere eodem modo exponit, & nobiscum sentit dicens, olim fuisse in Ecclesiâ alios modos pœnarum, separando fidelem peccatorem propter aliquas culpas, vel à perceptione solius Eucharistiæ, vel ab ingressu Ecclesiæ, & communicatione in diuinis officiis, aut communione, quæ omnes (ait Victoria) poterant vocari excommunicationes minores: nunc autem (inquit) vna tantum est excommunicatio minor, quæ priuat vsu passiuum sacramentorum. Sic etiam in regula sancti Benedicti multa leguntur de excommunicationibus regulis (vt sic dicam) quæ in pœnam monachis imponebantur, quæ censuræ non erant, sed prohibitiones, & separationes quædam, vt ex cap. 23. 24. & 25. eiusdem regulæ manifestum est.

Ex his ergo recte concluditur, hanc excommunicationem maiorem integram & totalem, prout est in vsu Ecclesiæ, tantum esse vnius rationis specificæ: quia est (vt ita dicam) priuatio eiusdem formæ, scilicet communicationis passiuæ sacramentorum, quæ eiusdem rationis est in omnibus fidelibus. Immeritoque

Nunc vero non esse in vsu.

Exponitur varia iura in contrarium adducta.

Glossa.

Ca. Neminem. dist. 45. Si ita causam exigit clericus, triduo priuatur honore, & c. Vnde eodem modo intelligitur cap. Episcopi, 11. q. 3.

Priuatione Eucharistiæ excommuni aliquid quando vocatur.

Victoria.

Reg. S. Benedicti.

Ser.
Victoria.

toque in contrarium citantur Victoria supra, & Soto dist. 22. q. 1. art. 1. in principio: nam Victoria, licet dicat, olim fuisse alios modos pœnarum, quæ poterant dici excommunicationes minores nunc tamē; sentit, nullam esse, quæ priuaret participatione vnius sacramenti, & non omnium: Soto vero, licet dicat nomen *Excommunicationis*, deriuatum esse à participatione Eucharistiæ, quæ per antonomasiam dicitur communio, addit nihilominus, eos, qui extra sanctam Communionem se habent, etiam in antiqua Ecclesia subinde à Participatione reliquorum sacramentorum solitos fuisse cohiberi. Quicquid vero sit de præterito tempore, nunc certum est nullā esse propriam censuram, quæ priuaret receptione vnius sacramenti nisi omnibus simul priuando, vt constat ex citatis iuribus in capit. vlt. de cler. excom. ministr. & in c. penult. de sentent. excom. & ex vfu Ecclesiæ. Nam vt infra ostendemus, nulla est excommunicatio minor iure lata, quæ non priuaret participatione omnium sacramentorum: ab homine autem raro, aut nunquam fertur excommunicatio minor. Et quamuis interdum prohibeatur quis ab vfu, v.g. solius Eucharistiæ ex præcepto confessoris, aut superioris, vel iudicis Ecclesiastici, vt sumitur ex c. Accedens, dist. 50. tamen illa non est propria censura, sed vel pœna quædam præcedentis peccati, vel iustum præceptum, quod propter reuerentiam tanti sacramenti, vel ob aliam iustam causam imponitur. Non oportet ergo tot species excommunicationum minorum distinguere, quot sunt species sacramentorum, quia licet possint à nobis fingi, tamē in censuris ab Ecclesia institutis non dantur, sed vna, quæ priuaret omnium sacramentorum participatione.

SECTIO II.

Quos effectus habeat excommunicatio minor.

Conclusio

Conarr.
Vgolin.
Obiectio.



VAESTIO hæc ex dictis in superiori facillime definitur. Dicendum est enim proprium, & adæquatum effectum huius censure esse, priuare hominem vfu, & participatione sacramentorum: quod patet ex definitione data, & ex iuribus vnde illam sumptimus, & ex c. Nobis, de exceptionibus, & ex omnium sententia apud Couarr. in cap. Alma. pa. §. 8. & Vgolin. tab. 3. cap. 6. §. 1. & Summistas verb. *Excommunicatio*. Dices, hic effectus communis est excommunicationi maiori: ergo non est proprius excommunicationis minoris. Respondetur ex superius dictis, hæc duo comparari per modum totius & partis, nam excommunicatio maior includit quidquid minor, & aliquid aliud: vnde cū dicitur hic effectus proprius excommunicationis minoris, vel nō sit comparatio ad maiorem, sed ad alias censuras, vel intelligendum est cum præcisione, & adæquatione: nam excludere à receptione sacramentorum est, vt ita dicam, adæquatum obiectum excommunicationis minoris, non vero maioris, licet sub eius obiecto comprehendantur: sicut color, vel sonus continentur sub obiecto sensus communis, licet ipsa sint obiecta adæquata quorundā particularium sensuum.

Peccat gra-
uiter sacra-
menta reci-
piens cum
hac censura

Atque hinc sequitur peccate grauiter, qui cum hac censura suscipit sacramenta, licet ipsa sacramenta valida sint: Prior pars probatur ex dicto capit. vltimo de cleric. excom. ministr. vbi dicitur grauiter peccare qui celebrat minori excommunicatione ligatus: ergo qui alia suscipit sacramenta: quia qualibet receptio est materia grauis, sacra, & prohibita, licet differant secundum magis, & minus. Sicut etiam maius peccatum est ea suscipere cū maiori excommunicatione: hoc autem nō excludit quin hoc

etiam graue & mortale sit. Altera pars nota est, quia prohibitio Ecclesiæ non irritat sacramentum, si eliciatur debita materia, & forma à legitimo ministro applicatur, & à fortiori patet ex dictis de excommunicatione maiori.

Addendum vero est propter hoc peccatum, vel celebrando cum hac censura non incurri irregularitatem. Quod expresse traditur in dict. cap. vltimo de cleric. excom. ministr. Ratio est, tū quia talis irregularitas non est in iure expressa, tum etiam, quia propter solam susceptionem sacramenti, vt si non incurritur irregularitas, sed propter indebitam ordinis administrationem, à qua per censuram aliquis prohibetur, vt infra suo loco videbimus hic autem celebrans ligatus minori excommunicatione non peccat propter administrationem ordinis sed propter solam susceptionem sacramenti, vt iam dicam. Addito etiam, nullam certam penam esse ipsi iure impositam propter hanc culpam, sed arbitrio iudicis, vel superioris puniendam esse, vt notauit Glossa in dict. cap. vlt. de cleric. excom. ministr. vnde falsum existimo, quod dicit Syluester verb. *Excommunicatio*, 4. in principio, eum, qui cum excommunicatione minoris suscipit sacramentum imprimis characterē, v.g. ordinis priuari effectū vltimato, id est executione. Nam hæc priuatio non fit nisi per suspensionem: quæ ob talem culpam non contrahitur: nullo enim iure lata est, vt diximus.

Atque hinc colligitur, omnes alios actus Ecclesiasticæ communicationis, tam sacros, quā ciuiles seu humanos licitos esse homini ligato sola excommunicatione minori. Hæc est communis sententia, vt videre licet in Syluestro verbo. *Excommunicatio*, 4. n. 5. & Nauarr. in Summa, cap. 27. & Couarr. dict. §. 8. n. 2. & Jacob. de Grassis lib. 4. lvarum decisionum, cap. 10. n. 3. Et ex parte colligitur ex dict. cap. vlt. vbi dicitur: *Eum, qui sic excommunicatus est, non esse prohibitum eligere, vel ea, quæ iurisditionis sunt, exercere*. Ergo multo minus est prohibitus ab aliis actibus humanæ communicationis, quæ iurisditionem non requirunt. Præterea in cap. A nobis, de exceptionibus, ponitur particula exclusiua, *santum à sacramentorum participatione est remouus*: ergo reliqua licita sunt, quia nō sunt prohibita. Quapropter huiusmodi excommunicatus & Missam audire, & alia diuina, quæ sacramenta non sunt, participare potest, vt Theologus docet in 4. d. 18. Præsertim Palud. Gabriel, & Maior, & Adrian. q. 3. de Clauibus. Vbi recte etiam addit, posse huiusmodi excommunicatum absolueri aliū ab excommunicatione, vt colligitur ex cap. Duobus, de sentent. excom. Et ratio est, quia non iurisditione, aut vfu eius, iuxta dict. cap. vlt. Et eadem ratione potest aliis negotiis interesse, vel in iudicio, vel extra illud, ac denique quacūque communicatione vri. Et ob eandem rem non est priuatus communibus suffragiis Ecclesiæ: tum quia non est præclusus ab illa tum etiam, quia illa dictio exclusiua, *santum*, hæc omnia complectitur.

Ligatus minori excommunicatione licitè sacramenta ministrat.

VAE tamen supersunt difficultates circa hanc generalem illationem. Prima est, nam ex illa sequitur Sacerdotem ligatum minori excommunicatione posse licite, & absque peccato ministrare sacramenta, quia solum est prohibitus à passiva receptione: actiua autē ministratio distincta est, & per se non requirit receptionem: ergo non erit illi prohibita, erit ergo licita: consequens autem videtur contra expressa verba Gregorij IX. in dict. cap. vlt. de cleric. excom. ministr. dicentis: *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta*: ergo.

Propter quod quidam dicunt peccare grauiter, qui ministrat sacramenta cum minori excommunicatione:

ratione. Tenet Innocentius dict. cap. ult. (Abbas autem ibi falso citatur) & Adrianus in 4. quæst. 3. de clauibus, §. Pro huius solutione. Maior 4. dist. 18. quæst. 2. §. 1. Syluester, Excommunicatio. 4. nu. 1. Fauet l. 6. n. tit. 9. partit. sed loquitur æquiuoce de excommunicatione minori, iuxta dicta in sect. præcedenti. Illa ergo sententia falsa est. Primo, quia in dict. ca. A nobis, de exceptionibus exclusiue dicitur, tantum à participatione. Dices, intelligi à participatione etiam actiua. Sed repugnat in primis proprietas huius vocis, participationis, quæ non significat effectiorem, sed receptionem sacramenti. Deinde repugnat expressa interpretatio eiusdem Gregorij IX. in dict. cap. ult. dicentis, hanc participationem in sola consistere perceptione, & non in actiua ministerio. Ex quo ibidem concludit, sic excommunicatum non esse remotum à collatione sacramentorum. Nec refert, quod Pontifex ibi utitur verbo videndi, dicens: Cum non videatur à collatione, &c. quod verbum dubitationem potius, quam constantem sententiam indicat: hoc (inquam) non refert, nam illo modo loquendi sæpe significatur absoluta assertio, & veritas rei, & ita accipiendum esse cum à lege profertur, notauit Iasson. in l. Clam possidere, §. Qui ad nudinas. nu. 45. ff. de Acquiren. posses. & in illo textu est necessaria interpretatio: nam Pontifex absolute affirmat sacramenta collata à sic excommunicato, virtutis non carere effectum, & rationem subdit, cum videatur à sacramentorum collatione remotus: ergo perinde fuit, ac si diceret, cum non sit: alioqui ratio non esset conclusioni proportionata.

Præterea alij sentiunt, sic excommunicatum, per se loquendo, non peccare administrando sacramenta. Ita tenuit Hostiensis ibi, quem sequitur Nauarrus dict. ca. 27. nu. 24. & idem tenet Ioannes de Lignan. tractatu de censuris, §. 13. & alij supra citati. Fundamentum est, quia per talem censuram non remouetur quis à collatione sacramentorum, vt ostensum est: ergo non est illi prohibita: ergo non peccat conferendo. Patet consequentia, quia talis actio in tali persona non est per se mala: ergo si non est aliunde prohibita, non est vnde peccaminosa sit. Quid est ergo quod Pontifex dicto c. ult. ait. Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta? Responso communis est, illa verba intelligi, de illa collatione eorum, vt Episcopus ordinando in sacris, quia simul sacrum facit, & communicat, non tamen peccabit confirmando: quia tunc ita confert vnum sacramentum, vt nullum recipiat. Similiter Sacerdos si excommunicatus peccabit Eucharistiam conferendo, quia necesse est, vt illam recipiat, tamen si illam ministrat ex præconsecratis formulis, non peccabit, qui potest id facere non participando illam. Ita significauit Abbas ibi, nu. 1. & 3. vbi ait, excommunicationem minorem non inducere suspensionem ordinum, sed tantum priuare participatione sacramentorum: & ideo qui sic celebrat, non attentare officium sibi interdicitur, sed ideo peccare, quia participat ex sacramentis. Vnde quod in illo textu dicitur, Peccat autem ipsa conferendo, videtur ipse exponere, id est celebrando, seu celebratione conferendo.

Non caret tamen difficultate illa expositio, tum quia nemo participat sacramentum, cum illud confert, nisi qui celebrat, si ergo Pontifex in illo posteriori §. solum loqueretur de eo, qui confert sacramentum illud recipiendo, nihil nouum diceret, sed repeteret, quod in principio capitis dixerat: Peccare sic excommunicatum celebrando: at Pontifex illud addidit tanquam quid nouum, & distinctum: tum etiam quia illa posterior assertio Pontificis non esset per se, sed valde per accidens: vnde non fuisset ita absolute proferenda, imo in rigore esset falsa: Explicatur omnia, quia actio conferendi sacramentum ex se separabilis est à participatione sacramen-

ti: quod autem coniungantur, accidentarium est, solumque concomitanter, vel præsuppositiue concurrunt. Vnde illa duo, scilicet recipere, & ministrare sacramentum quantumuis simul fieri videantur, diuerse manent, & peccatum, quod ibi interuenit, non est in administratione, sed in receptione sacramenti. Addo vt non magis peccet sic excommunicatus celebrans, & ministrans sacramentum, quam celebrans tantum: ergo illa locutio in eo sensu impropria est, & in rigore falsa.

Nihilominus circumstantia, & difficultas illius textus cogit nos, vt dictam expositionem admittamus: nam in eo duo simul dicuntur, quæ videntur repugnantia, scilicet peccare sic excommunicatum conferendo sacramenta, & non esse ab eorum collatione remotum: nam si non est remotus, cur peccat? Ergo oportet exponere, peccare, non ex vi remotionis à collatione sacramentorum, sed ex adiuncta receptione, à qua remotus est, & inde fieri, vt sacramenta ab eo collata non careant effectu, neque apud Deum, neque apud Ecclesiam. Vnde ad obiectionem respondendum est, illum versiculum, Peccat autem, &c. referri ad initium capitis, & consequenter in eo sermonem esse de Sacerdote sic excommunicato celebrante, quod satis indicat illa particula aduersatiua, Autem, quæ ad præterita refertur, & non potest aliter commode referri.

Non ergo de quocumque Sacerdote sic excommunicato, sed de celebrante, ait Pontifex, peccare sacramentum ministrando. Quod non superfluum, sed ex necessitate addidit, vt declararet, non obstante illo peccato, talia sacramenta habere suum integrum actum absque ulla suspensione, vel alia ecclesiastica pœna, quia illud peccatum non prouenit formaliter ex collatione, sed ex participatione sacramenti. Et ideo non obstat, quod huiusmodi culpa sit quasi per accidens respectu collationis sacramenti, quia iuxta subiectam materiam sermo erat de collatione sacramenti habente talem circumstantiam, De qua moraliter loquendo, vere & in rigore dici potest quod peccaminosa sit, tum quia, licet hæc censura directe non prohibeat vsum actiui sacramentorum, tamen prohibendo passiuum, ex consequenti prohibet illum actiui, qui sine passiuo esse non potest, sicut statim dicemus de electione: tum etiam quia hic & nunc fit tali modo, & per talia media, vt sine peccato exerceri non possit. Vnde, licet tota ratio illius malitiæ proueniat ex participatione sacramenti, tamen illa redundat in actionem, & inficit totum illud ministerium, quod per modum vnius tunc moraliter fit.

Alteram interpretationem adhibere possumus, vt videlicet per se quidem, ac directe non remoueri quempiam per excommunicationem minorem ab officio administrandi sacramenta: & ideo non peccare grauius, si hoc faciat, nec aliquam penam ecclesiasticam incurrere: Nihilominus tamē, quia talis excommunicatio aliquam indecentiam assert, ideo non carere aliqua culpa, qui in eo statu sacramentum ministrat. Sicut peccatum per se ac directe non vetat ministrare sacramenta, neque hoc formaliter ad eius rationem pertinet: tamen propter indecentiam nouum peccatum est sacramentum ministrare in statu peccati. Ita ergo in presenti cum duplici moderatione. Vna, vt hoc non extendatur ad alias actiones sacras, præter sacramentorum ministerium propter specialem sanctitatem talis ministerij. Alia, vt tale peccatum veniale tantum censetur: quia illa indecentia parua est, & ita ad peccatum mortale non sufficit. Vnde in illo c. ultimo, cū in principio dixisset Pontifex, peccare grauius sic excommunicatum celebrando, postea solum dixit, peccat autem sacramenta ecclesiastica conferendo, & non addidit, grauius, quia necessarium non est peccatum illud, esse mortale, iuxta hanc interpretationem quam

Lefesm.

Couar.

12
Exclusio
hæretici-
tur.
Non peccat
qui ligatus
excommu-
nicatur
minori sa-
cramentum
ministrat.

quæ tenet expresse Ledefina in 2. part. 4. q. 25. art. 2. & iuxta illam conciliare vult opiniones supra relatas. Eandem indicavit Couar. dict. 5. 8. num. 2. citatque Ancharranum, Caietanum, & Syluestrum: tamen Syluester verb. *Excommunicatio*, 4. num. 1. & 5. oppositum plane docet: Caietanus vero, verb. *Excommunicatio minor*, aliquantulum fauet, quatenus distinguit, & præcise ait, huiusmodi, excommunicatum mortaliter peccare, si se ingerat passivæ participationi alicuius sacramenti, indicans si se ingerat activæ non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter. Et ita etiam facile intelligitur limitatio, quæ in fine illius textus additur, *Dummodo non in contemptu Ecclesiasticæ disciplinae, &c.* Ita ut sensus sit, quamvis sit aliquale peccatum ministrare sacramenta cum illa censura, non tamen esse grave, nec anathemate dignum, nisi ex contemptu fiat.

Hæc expositio esset probabilis, si verum esset quod supponit, esse peccatum veniale ministrare sacramentum in minori excommunicatione. At hoc non videtur verum. Nam ex vi huius circumstantiæ, & omnibus aliis seclis, nulla sufficiens ratio culpæ ibi apparet. Quia censura hæc per se non est culpa, sed poena, neque etiam necessario supponit culpam mortalem: quod si interdum illam supponat, erit per accidens: poteritque per contritionem auferri: ergo talis censura per se solum coram Deo non affert indignitatem, vel indecentiam, ratione cuius contra rectam rationem sit, aut contra sanctitatem sacramenti illud in eo statu ministrare. Cum ergo alias ex vi talis censura illa administratio prohibita directe non sit, nec ex iure positivo, neque ex naturali apparet in eo actu sufficiens ratio culpæ etiam venialis. Destructo autem hoc fundamento tota illa interpretatio ruit. Et ideo prior & solidior, & verior videtur.

Electio eius qui ligatus est minori excommunicatione, an valeat.

23 **S**ecunda difficultas oritur ex eodem cap. ult. dicitur enim ibi, eum, qui minori excommunicatione ligatus est, non posse eligi, & si scienter eligatur, eius electionem irritandam esse. Ex quo sequi videtur non esse veram illam exclusivam, sic excommunicatum tantum passivæ perceptione sacramentorum esse priuatum: nam priuatus etiâ est passivæ electione, quæ non est participatio alicuius sacramenti. Accedit quod etiam videtur priuatus activæ voce eligendi ex cap. *Ille quotidianus*, de Elect. vbi Pontifex supplet defectum quorundam, qui ad electionem concurrerant minori excommunicatione ligati. Sed hoc secundum non habet difficultatem, nam certum est hanc censuram non priuare iura eligendi, ut patet ex dict. cap. ult. & ex omnium sententia, & quia nullibi lata est talis poena. Neque in dict. cap. Pontifex ait fuisse illum defectum electionis, sed ad tollendos scrupulos, vel ut satisfaceret opposentibus, sub conditione addidit, *Si quis defectus, &c.* Circa priorem ergo partem primo videndum est, quis sit sensus illius clausulæ, & qualis sit hic effectus huius censurae, & deinde quomodo consonet cum illa Exclusiva, quæ habetur in dicto capitulo, *A nobis, de Except.*

14
De qua electione sit sermo.

Circa priorem partem suppono sermonem ibi esse de Electione ad gradus, dignitates, vel beneficia Ecclesiastica. Nam licet in textu absolute dicatur, huius excommunicati electionem irritandam esse, tamen ex ratione, quam subdit Pontifex, satis colligitur illa determinatio. Pro eo (inquit) quo ad susceptionem eorum eligitur, à quorum participatione à Sanctis Patribus est priuatus. Quæ ratio habet locum in ordinibus aut beneficiis Ecclesiasticis, non autem in temporalibus. Vnde, si quis sic excommunicatus eligatur ad temporalem dignitatem, aut ministeriū, vel ad

A regnum, non propterea electio irritanda erit, & idem censet de Electione ad cathedram, etiam si sit sacra, aut Ecclesiastica: lectionis: dummodo beneficium Ecclesiasticum annexum non habeat, de officiis autem aut beneficiis Ecclesiasticis, quæ per se non habent annexam obligationem suscipiendi aliquod sacramentum, dicam in secundo puncto posito.

Secundo observandum est in illo c. ult. non simpliciter id dici, sed cum illo addito, *Scienter*. Sic enim dicitur, *Si tamen scienter talis electus fuerit, &c.* Non tamen explicatur ad quos referatur illa particula, *Scienter*, an scilicet ad electores, vel ad electum. Videtur tamen præcipue esse referendam ad ipsum electum: nam hæc poena illius est, & non eligentium: non enim ob eorum peccatum, sed electi, electio irritatur: ergo parum refert, quod ipsi peccet, aut non peccet eligendo, aut electio irritanda sit: ergo nihil etiam refert quod scienter eligant: nam hæc scientia solum auget eorum culpam. Et hanc sententiam docuit Glossa, ibi verb. *Scienter*, quam Innocentius, Abbas, & alij expositores communiter sequuntur.

Sed inde oritur difficultas, si huiusmodi excommunicatus eligatur ipsomet suam excommunicationem ignorante, an tunc electio valida & rata sit, ut omni defectu careat, propter quem veniat irritanda? Nam, esse irritandam, sentit Couarruias d. 5. 8. nu. 3. quia nihil distinguit inter ignoratiam electorum, & electi, sed absolute ait ad valorem & effectum huius electionis nihil conducere ignorantiam excommunicationis, & citat Glossam in dict. cap. ult. quæ tamen solum de electoribus loquitur, & illam particulam, *Scienter*, ait, referendam esse ad ipsum excommunicatum. Exponit vero non ita *Scienter eligatur*, sed, *si scienter participaverit excommunicatus*. Vnde inferri potest, semel contracta excommunicatione minori, nihil referre quod ignoranter eligatur. Illa vero expositio violenter est, nam verba textus sunt, *si tamen scienter talis electus fuerit*: vbi evidenter scientia ad electionem refertur, & persona supponit ligata minori excommunicatione, quocunque modo, vel titulo contracta fuerit, nam doctrina generalis est. Ratione tamen potest illa sententia persuaderi, quia illa electio non irritatur propter peccatum, quod electus committit se ingerendo tali electioni, sed propter incapacitatem personæ, ut satis constat ex ratione, quam subdit Pontifex dicens, *Pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, quorum perceptione à Sanctis Patribus est priuatus*. Quæ ratio locum habet, siue quis sciens, siue ignorans eligatur: & siue peccet in ea electione, siue non: interdum enim fieri potest, ut non peccet, etiam si sciens eligatur, utpote si mere passivæ se habeat, non procurando electionem, quamvis eam non impediat manifestando suam excommunicationem, quia non debet ad hoc obligari, si occulta sit.

Nihilominus contrariam sententiam indicat Syluester citans Glossam Raimundi verb. *Excommunicatio*, 4. num. 4. vbi ait, hanc inhabilitatem excommunicati esse in poenam peccati. Sed hoc est verum de poena illius peccati, propter quod in excommunicationem incidit. Quod vero necessarium sit novum peccatum in ipsa electione commissum, ab ipso non probatur, neque aperte dicitur. Ait tamen, si electores ignoranter eligant, electionem non esse irritandam: quod tamen verisimile non est, ut dixi. Inde vero à fortiori videtur colligi, idem sentire, si excommunicatus ex parte sua ignoranter electus sit. Fundatur autem Syluester in illo verbo textus, *Scienter*, quod necesse est aliquam vim habere: alioquin superflue adderetur: nullum autem effectum habere, si, non obstante quacunque ignorantia tamen ex parte eligentium, quam ex parte electi electio irritanda esset. Confirmatur, quia, cum hæc censura minoris excommunicationis propter leuem culpam contrahi possit, non videtur esse adeo gravis prohibitio,

bitio, vel inhabilitas, ut etiam cum bona fide electi, ipsam electionem, vel collationem beneficii irritet.

18
Prior opinio
preferitur.

His vero non obstantibus non videtur in hac parte recedendum à communis sententia: nam eius ratio est vrgens, scilicet, quod hic effectus non fundatur in noua culpa eligentium, vel electi, ut propterea possit ignorantia excusando culpam impedire hunc effectum, sed fundatur in natura seu institutione talis censuræ, quæ impediendo vsum passiuum sacramentorum, impedit consequenter electionem ad illud munus, quod illum vsum requirit. Quod fundamentum integrum manet etiam si ignorantia intercedat in alterutra, vel in utraque parte, scilicet eligentium, & electi. Quocirca illa particula, *Scienter*, potius videtur addita in illo textu ad augendum, quam ad limicandum. Ita ut sensus sit, *Etiam si scienter*. Et referenda erit potius ad eligentes, quam ad electum, ut omnes expostitores communiter indicant. Quia ex parte electi quasi manifestum videbatur, ignorantiam, aut scientiam nihil posse operari ad commodum eius quoad id, in quo per censuram impeditur vel prohibetur. Rursus, si ex parte eligentium fiat electio ignoranter, hoc ipso videtur inuoluntaria, & subreptitia, ac proinde irritanda: quod scitis videri poterat, si scienter eligent excommunicatum: quia, non obstante illo defectu, viderentur velle conferre illi beneficium: propterea ergo Pontifex addit, ut etiam si scienter eligant, electio irritanda sit: quia in electo semper est impedimentum: unde & ipsi male faciunt illum eligendo.

Sitne talis electio ipso iure irrita.

19 **T**ercio obseruanda in illo textu sunt verba illa, *Eius electio est irritanda*: nam ex ea oritur dubium, an talis electio valida sit donec irritetur à iudice, an vero sit à principio nulla. Priorem enim sensum indicant dicta verba: nam quod irritandum dicitur, supponitur non esse irritum, quamuis infirmum propter aliquem defectum, ratione cuius irritari debet. Nihilominus posteriorem sensum sequuntur Gloss. Panormitan. Syluest. & Couarr. locis citatis. Qui consequenter asserunt, illud verbum, *Irritanda est*, exponendum esse, id est, *Irrita declaranda*, seu, *irritanda quoad factum*, nam quoad ius irrita est. Hanc vero sententiam nulla ratione, vel textu confirmant. Nam quod quidam aiunt, illud verbum, *Irritandam*, esse sic exponendum ob subiectam materiam, non video quam vim habeat: quia materia est odiosa & poenalis: & ideo restringenda quoad rigorem, & amplianda quoad fauorem. Adde, in illo textu nullum esse verbum, quod significet personam sic excommunicatam reddi omnino inhabilem ad electionem, sed solum prohiberi ne eligatur, sicut prohibetur, ne sacramenta participet.

Opin. communis.
Gloss.
Panormitan.
Syluest.
Couarr.

20
Obiicit.

Dices, ex aliis iuribus constare huiusmodi prohibitionem esse irritantem: nam in capit. *Postulasti*, de Cleric. excomm. ministr. dicitur, excommunicatis clericis non posse beneficia Ecclesiastica conferri, neque eos posse ea licite retinere. Veruntamen neque ille, neque alius textus iuris canonici de excommunicatione minori loquitur in specie quoad hunc effectum, sed loquuntur, aut expresse de excommunicatione maiori, aut simpliciter de excommunicatione, per quam intelligendam esse maiorem iam supra docuimus. Ex quo potest argumentum in contrarium retorqueri: nam vis excommunicationis maioris maior est, & ideo cum de illa agitur, declaratur electionem excommunicati irritam esse: cum autem agitur de minori solum dicitur, quod sit irritanda, eo quod cum minor sit, minorem vim habere videatur.

21
Vera sententia.

Quapropter verior mihi videtur sententia affirmans talem electionem validam esse, quamuis per

A sententiam irritari possit, & debeat. *Quam sequitur* Felinus in c. *Dilecti*, de Exceptionibus: nam, licet in num. tertio dicat, huiusmodi excommunicatum esse ineligibilem, tamen in fine nu. 4. hac sequitur sententiam. Et eandem tenet Richardus in 4. dist. 18. art. 7. q. 4. Dubitat autem ibi Richardus, an quod dicitur de Electione procedat de quacumque collatione beneficii etiam si absque electione fiat: & vtramque partem censet probabilem. Ego vero existimo habere locum in collatione beneficii, siue fiat per electionem inter multos, siue non, tum quia omnis collatio beneficii est quædam virtualis electio, cum ille cui confertur, etiam si non precedat concursus, assumatur vnus ex multis ad illud munus: tum etiam, quia ratio textus æque procedit in collatione beneficii: nam per illam aliquis assumitur ad suspensionem eorum, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus. Et hæc est communis sententia, ut colligi potest ex auctoribus supra citatis.

sentia.
Felin.

Richardus.
Dubium.
Quod dicitur de electione, procedit pariter in collatione beneficii.

B Aliud item dubium indicat ibi Richardus, an eligentes scienter huiusmodi excommunicatum, ob talem electionem incurrant poenam iuris, scilicet ut pro ea vice priuati maneant iure eligendi. Et affirmatiuam partem sequitur cum Glossa in dicto ca. *Si celebrat*, verb. *Scienter*, & fundatur in c. *Cum in cunctis*, §. *Clerici*, & in c. *Scriptum est*, versic. *Si vero*, de Electione, ubi qui indignum eligit, priuatur pro ea vice iure eligendi. Contraria tamen sententia vera est, & communis, ut notauit Panormitanus in eod. ca. num. 8. quia illa poena non est in iure expressa pro hoc casu, & ex dictis capitulis, *Cum in cunctis*, & *Scriptum est*, non est extendenda vltra casus ibi expressos, tum quia poenæ non sunt extendendæ: tum etiam, quia non est eadem ratio de eligente indignum, quæ de eligente ligatum minori excommunicatione: quia, hic non peccat contra iustitiam, & quia ille defectus leuior est, & facile auferri potest.

22
Dubium.

Glossa.

Communis sententia.
Abb.

Ad difficultatem autem supra tactam, quomodo scilicet vera sit exclusiua illa, quæ in aliis iuribus habetur huiusmodi excommunicationem tantum priuare passiuam participatione sacramentorum: dici potest exclusiuam non excludere concomitantiam: hæc autem passiuæ electio est quid concomitans passiuam susceptionem sacramentorum, ut indicatur in illa ratione, quod qui priuatus est passiuæ perceptione sacramentorum, etiam est priuatus munere, quod ad illam ordinatur. Vnde etiam dici potest hanc censuram tantum priuare participatione sacramentorum directe, & indirecte, seu immediate, ac mediate, id est, & ipsa susceptione in se, & eo munere quod ad ipsam ordinatur. Dices, non esse similem rationem: nam qui eligunt ad aliquod munus, potest non exercere munus illud, donec ab excommunicatione minori absolutus sit: ergo, licet munus illud ordinetur ad ministerium, quod requirit susceptionem sacramentorum, quia talis excommunicatus priuatus est, non propterea electio erit inualida, quia non eligitur, ut in eo statu illud exerceat. Sicut, quamuis aliquis eligatur ad tale munus in peccato mortali existens, non propterea electio erit irrita, vel irritanda: quia non eligitur, ut in eo statu exerceat munus suum sed potest absolui à peccato, & postea digne exercere. Respondeo, rem hanc non fundari in solo cursu rationis, seu illationis vnus ex alio, & hoc argumentum conuincit. Fundatur ergo in iure positivo, quod hoc statuit in dicto ca. vii. & consequenter probauit illam illationem in presenti materia: nam, licet per se necessaria non sit, est tamen congrua & sufficiens ut per positium ius ita statuatur. Atque ideo non est simile de eo, qui eligitur in peccato mortali: quia de illo nihil tale statutum est per ius positium: & ideo, licet electores male faciant aliquem eligendo in eo statu, tamen eius electio neque irrita est, ut quidam inepte dixerunt, neque etiam est infirma aut irritanda, ut bene ostendunt

23
Quæ ratione verum habet minor excommunicatum priuare passiuam receptionem sacramentorum.

Responsa.

Nauarr.

Nauarr.
Conar.

Nauarr. in cap. Si quando, de Rescriptis, exceptione 11. Couarruias in cap. Alma, 1. part. §. 8. nume. 4. de quo alias.

An electio beneficij quod ad susceptionem sacramenti non ordinatur, irritanda sit.

24

Hinc verò suboritur alia dubitatio, quando minus, aut beneficium Ecclesiasticum tale est, ut per se non ordinetur ad susceptionem alicuius sacramenti, neque in exercendo suo munere illam requirat, an talis electio irritanda sit: nam ex ratione illius textus videtur non fore irritandam, quia per eam non eligitur quis ad susceptionem sacramentorum, exempla sunt in praestimoniis, & beneficiis simplicibus pro clericis in minoribus constitutis infra sacerdotium. Nec refert quod talia beneficia requirant ordinem, quia non ordinantur ad illum ut suscipiendum, sed supponunt susceptum: & ita per se non obligant ad susceptionem alicuius sacramenti. Idem denique est de quibuscunque aliis beneficiis vel dignitatibus simplicibus, quae per se non obligant ad ministerium, quod sacramenti susceptionem includat. In contrarium vero est, quia in illo textu sine limitatione dicitur huiusmodi excommunicatum eligi non posse. Quod à Doctoribus de electione ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, simpliciter & sine limitatione intelligitur.

25
Dubyro.
lusio.

Quapropter dicendum videtur, decisionem illam generaliter procedere de electione ad quodcumque Ecclesiasticum beneficium, quantumvis simplex esse videatur aut per se & proxime non obligare ad celebrationem Missae, aut sacri ordinis susceptionem: nam satis est, quod ex intentione Ecclesiae omnia haec beneficia ad hunc finem ordinantur: nam hac ratione verum est dicere omnem illum, qui eligitur ad beneficium Ecclesiasticum, eligi ad hunc finem, ut diuina sacramenta suscipiat, ac celebret. Atque ita ratio illius textus potest ad quodlibet Ecclesiasticum beneficium aptari. Vnde, cum alioqui verba eius sint ex se indefinita, & vniuersalia, de omnibus intelligenda erunt. Secus vero erit de electione ad quodlibet aliud munus, quod neque immediate, neque mediate ad sacramentorum ministerium, vel susceptionem ordinatur, ut in primo puncto huius difficultatis attigimus.

An effectus minoris excommunicationis locum habeant post Extrauag. Ad euitanda.

16

Vltimo superest explicandum circa hos effectus, an locum habeant post Extrauagantem, Ratio dubii. Ad euitanda. Et est ratio dubij, quia haec excommunicatio raro, aut nunquam fertur per sententiam peculiarem, ut infra dicemus, neque ob illam solam aliquis nominatim denunciatur excommunicatus, sed per eam Extrauagantem effectus censurarum videtur limitari ad eos qui nominatim denunciati sunt: ergo iam non habebunt locum in huiusmodi excommunicato. Circa hoc breuiter aduertendum est, per eam nullum favorem concedi ipsis excommunicatis, sed ipsos ex parte sua eque ligatos manere, ac abstinere debere ab his omnibus, à quibus per censuras priuantur. Quo fit, ut ligatus minori excommunicatione, etiamsi non sit denunciatus, sed omnino occultus, teneatur abstinere ab usu sacramentorum aequae, ac antea, quo ad alios vero potest esse nonnullum dubium.

27

Nō tenemur
utare liga-
tū minori
excommu-
nicatione nō

Et primo dicendum est directe, & ex propria Ecclesiae prohibitione, nos non teneri ac vitandum huiusmodi excommunicatum, praesertim quādo nominatim denunciatus non est, in collatione sacramentorum. Quod in specie notauit Vgolin. tab. 3. c.

A 8. n. 4. ob dict. Extrauagant. Ad euitanda, cuius decisio comprehendit etiam excommunicationem minorem, cum generaliter loquatur de omni sententia & censura Ecclesiastica. Dixi autem, directe, & ex propria Ecclesiae prohibitione: nam indirecte & ex suppositione talis status personae sic excommunicatae, ex natura rei sequitur grauiter peccare illi, qui sacramentum ei administrat in tali statu, non solum, quia participat peccatum illius cooperando illi, sed etiam quia praebet sanctum canibus, praebendo sacramentum illi, quem scit peccare mortaliter suscipiendo illud. Si tamen qui administrat sacramentum, probabiliter credat alium non peccare propter occurrentes circumstantias, neque ipse peccabit, quia cessat ratio culpe, quae illi imputari poterat: idemque erit, si morali aliqua necessitate cogatur ad ministrandum propter vitandum scandalum, vel aliquid simile, iuxta superius dicta de Excommunicatione maiori.

Sed dubium est, an ex proprio Ecclesiae precepto prohibetur sit ministrare sacramentum huic excommunicato iam denunciato. Quod pendet ex alio an scilicet ante Extrauag. Ad euitanda, hoc esset prohibitum directe, & ex vi ipsius censurae respectu cuiuscunque. Nam quod nunc praecipum erat respectu omnium, non durat respectu denunciati. Videtur autem nullum dari huiusmodi praecipum: quia solum de ipso excommunicato dicitur remoueri à passiva perceptione sacramentorum, ex quo non fit, ut prohibita illa directe aliis fiat ne huic sacramenta ministrent.

Nihilominus tamen oppositum dicendum est, quia per se & ex vi censurae prohibent omnes communicare cum excommunicato in re illi prohibita: ergo haec ratio censurae etiam in excommunicatione minore conuenit, quantum est ex vi institutionis eius, & ubi per Ecclesiam limitata non est. Vnde nunc ex benignitate illius constitutionis, Ad euitanda, haec prohibitio ablata est respectu excommunicati non denunciati: manet vero respectu denunciati nominatim. Addendum vero est, administratam sacramenta alteri ligato minori excommunicatione etiam nominatim denunciato non incurtere nouam censuram: etiam excommunicationem minorem: quia, ut sequenti sect. videbimus, haec solum lata est in eos, qui cum ligato maiori excommunicatione communicant: qua ratione dici solet, quod excommunicatione non transit in tertiam personam. Ut videre licet in Gloss. in c. Rogo, & in c. Excellentissimi, & sumitur ex c. Quoniam multos, 11. q. 3. Et docuit Gabr. in 4. d. 18. q. 3. art. 2. concl. 9. ubi confusè dicit, communicantem cum excommunicato minori excommunicatione: neque peccare, neque censuram incurtere: nam hoc posterius est verum: illud vero prius non ita vniuersaliter verum est, sed extra casus prohibitos, ut dictum est de administratione sacramentorum, & de electione iam dicam.

Ex dictis enim sequitur esse prohibitum ex vi huius censurae quibuscunque electoribus, ne aliquent illa ligatum eligant ad Ecclesiasticas dignitates, vel beneficia, propter rationem superius factam: peccabit igitur sic eligens, & quidem grauiter ex sententia omnium, quamuis ob hanc causam nullam censuram, aut poenam ipso iure incurrat, ut supra tactum est. Nunc autem hoc maxime locum habet, si quis nominatim sic excommunicatus, & denunciatus sit, quod rarissime contingit, ut dixi. At vero respectu eorum, qui non sunt nominatim declarati, videtur quidem cessasse hoc peccatum in ipsis eligentibus: quia illis prohibita non est vlla communicatio cum tali excommunicato: ergo neque eius electio est in illis prohibita: ergo non peccat eligendo seclusa prohibitione, & aliunde non apparet ratio peccandi, quia ibi nulla est participatio in peccato alterius.

Nihilomi-

Nihilominus cenſeo talem electiōem irritan-
dam eſſe, iuxta ca. Si celebrat, quia poſt Extrau. ad cui-
ſanda, nullus fauor fit ipſi excommunicato: ergo eſt
æque inhabilis ad paſſiuam electiōem, ac erat an-
tea: alioqui magnus fauor illi fieret. Ergo eius electiō
æque irrita eſt vel infirma. Et ex hoc capite exiſtimo
peccare electores, ſi huiusmodi excommunicatum
eligant: quia eligunt perſonam inhabilem, vel ſim-
pliciter iuxta opinionem probabilem; vel ſaltem
in pacem electiōis omnino firmę & quam Eccle-
ſiaratam ſemper habitura ſit: ipſi autem, ex natura
rei, ſeu ex officio electorum, tenentur ratam & fir-
mam electiōem facere: peccant ergo contra ſum-
munus eligendo, in genere quidem grauiter,
in particulari vero iuxta materię qualitatem.

Alia dubitatio tractari poteſt, an ligatus excom-
municatione minori ſuſcipiendo ordines, maneat
ab illis ſuſpenſus. Sed quia res eſt facilis, dico breui-
ter, illum non manere ſuſpenſum, quia talis ſuſpen-
ſio in iure non inuenitur: nam cap. Cuius illorum, de
Sent. excomm. loquitur de ligatis excommunicati-
one maiori, & præter illud, nullum eſt aliud in iure
in quo feratur hæc ſuſpenſio. Atque ita notauit Na-
uarr. c. 27. n. 25.

SECTIO III.

Quibus modis, & cauſis incurritur excommuni-
catio minor.

Poteſt hæc excommunicatione ferri à iu-
re, & ab homine; primum conſtat ex
vſu, vt infra videbimus: ſecundum
magis ratione, quam vſu probari
poteſt: raro enim ac ſere nunquam
iudices Eccleſiaſtici vtuntur hæc cenſura in ſenten-
tiis ab homine ferendis. Nihilominus tamen de po-
teſtate dubitari non poteſt, tum quia, ſi poteſt homo
excommunicationem maiorem ferre, cur non etiam
minorem, cum eiudem ſint ordinis, & ſolum
diſferant ſecundum magis & minus, vel tanquam
totum & pars, & in his verum habeat regula iuris.
Qui poteſt id, quod maius, poteſt etiam id quod eſt
minus: tum etiam, quia, ſi hæc cenſura poteſt ferri à
iure, cur non ab homine: cum ius ipſum ab homine
conditum ſit. Et ita docent Theologi in 4. diſt. 18.
ſpecialiter Richardus art. 7. q. 4. Vbi ait interdum
etiam reperi in iure excommunicationem mino-
rem per ſententiam ab homine latam, & citat cap. 1.
5. q. 1. ſed ibi non imponitur pena vilius excommu-
nicationis ſed flagellationis. In ſecundo vero capite
Gregorius priuat participatione Eucharistię au-
torem occultum cuiuſdam publici delicti: quę pri-
uatio fuit veluti quædam excommunicatione minori:
ſed de illo textu plura in ſuperioribus diximus. Ea-
dem opinio communis eſt Summiſtarū, & aliorum
Doctorem, quos late congerit Vgolinius tab. 3. cap. 1.
& videri poteſt Nauarrus cap. 27. num. 25. Sylueſter
Excommunicatio. 4. D. Antonin. in tract. de Excom-
municatione. c. 79. nu. 11. qui citat cap. 2. 5. q. 2. De quo
etiam textu ſupra dictum eſt, nam in illo non agitur
de excommunicatione minori, prout nunc eſt in vſu,
ſed de aliis modis, quibus olim cogebantur rebelles
ad obediendum Eccleſiæ.

Ob qua crimina excommuni. minor à iure incur-
ratur.

Circa vtrumque autem excommunicationis mo-
dum pauca notanda ſunt. Et primo de illa, quę
iure fertur, inquiri poteſt, propter quę delicta in-
curratur. Nam Sylueſter ſupra num. 2. decem cauſas
numerat. Antonin. nouem, Innocent. in c. 1. de Sent.
excomm. octo numerat: Nauarrus autem vnum tan-
Fr. Suarez tom. 5.

A tum admittit, & merito, quia reliqui nec ſunt in v-
ſu, nec in eis interuenit propria excommunicatio
minor. Caſus ergo certus in quo hæc cenſura incur-
ritur ipſo iure, eſt ob participationem indebitam
cum excommunicato maiori excommunicatione. ſu. certus
Sumitur ex cap. Nuper, de Sentent. excommuni. Vbi
non additur particula minor, tamen ab omnibus in-
telligitur, additurque in cap. Statuimus. eod. in 6. & in
cap. Illa quotidiana, de Elect. in 6. vocatur ſimplex ex-
communicatio, propter ſimplicem effectum vt ibi no-
tat Abb. Præterea quando per illam communicati-
onem ius vult imponere maiorem excommunicati-
onem, exprimit illam, & ſi ab homine fit inferenda,
determinat formam, vt ſupra viſum eſt: ergo extra
illos caſus non incurritur maior, ergo minor, nā ali-
quam incurri certum eſt. Denique hac ratione v-
rum eſt quod ſupra dicebam, excommunicationem
maiorem non tranſire in tertiam perſonam, quia
per communicationem illius nō incurritur excom-
municatio maior, alias etiam illa tranſiret in com-
municationem. Sed contra: quia in can. 11. 12. & 13.
Apoſtol. dicitur, communicantem cum excom-
municato communionem priuandum eſſe, Et in c. Ex-
communicatos, cap. Cum excommunicatos, capit. Si quis
frater, 11. quaſt. 3. dicitur communicantem cum ex-
communicato incurrere ſimilem, vel communem
excommunicationem. Reſpondeo hæc antiquiora
iura eſſe per poſteriora explicanda de ſimili vel com-
muni excommunicatione in ratione quali generi-
ca. Item ſi fit pertinax fore ligandum maiori, non
tamen ipſo facto illam incurrere.

B Addendum vero eſt, etiam ad incurrendam in eo
caſu hanc cenſuram neceſſarium eſſe vt communi-
catio cum excommunicato ſit peccaminosa: nam,
cum hæc ſit pœna, non incurritur, niſi vbi præcedit
culpa, & ideo in caſibus, in quibus ſecundum ius aut
rectam rationem licitum eſt communicare cum ex-
comm. hæc cenſura non incurritur. Ad hanc vero
pœnam imponendam ſufficiens exiſtimata eſt talis
culpa venialis: quod factum videtur, vt ipſa excom-
municatio maior magis timeatur, & ne facile ho-
mines auerent communicare cum excommuni-
catis. Ne autem nimia eſſet ſeueritas, & maiora in-
commoda afferret, ideo etiam ſi illa communicatio
culpa mortalis ſit, non eſt propter eam generaliter
impoſita grauior cenſura. Nec vero mirandum eſt,
quod propter inæquales culpas eadem pœna Eccle-
ſiaſtica imponatur: quia lex generaliter fertur, & ad
iudices ſpectat maiora adhibere remedia, vbi graui-
ores culpę interceſſerint. Præterea hoc intelligen-
dum cenſeo de peccato veniali ex leuitate materię,
vt quia communicatio parua eſt, in aliqua ſalutari-
one; aut colloquio, aut communi menſa, ac vero ſi
peccatum ſit veniale ex imperſecta deliberatione, &
aduertentia, probabilius mihi videtur, tunc nō in-
curri cenſuram: quia ille nō eſt actus perfecte huma-
nus, & conſequenter illa non eſt inobedientia, ne-
que contumacia proprie dicta, ſine qua incurritur
cenſura, ſeruata proportionem ad eius cauſam, & ma-
teriam.

Alii caſus excluduntur.

VT autem certo conſtet hunc caſum eſſe vni-
cum, neceſſe eſt breuiter per alios, qui nume-
rari ſolent; diſcurrere. Primus eſt ſacrilegium ex
cap. Miror, 17. quaſt. 4. ſed ibi nulla cenſura ipſo iu-
re imponitur, ſed ſolum refertur quædam cenſura
ſeu pœna à D. Aug. lata in quendam ob ſacrilegium,
ipſe autem, nec condidit ius, nec pro tota Eccleſia
condere potuit. Alius eſt notoria fornicatio cleri-
ci ex cap. Veſtra, de Cohabitatione Clerici, & mulier.
Sed ibi ſolum agitur, de Sacerdote publice concu-
binario, qui vitandus dicitur in ſacro miniſterio, &
communione adminiſtratione. Quę pœna, ſi aliqua
cenſura tunc erat, non pertinebat ad excommuni-
cationem.

Vnicui ca-
cum excommunicato maiori excommunicatione. ſu. certus
huius cen-
ſura.

Obiectio

Solutio.

Ad incur-
dam hanc
cenſur. in eo
caſu requir-
tur culpa.
Venialis ſuf-
ficiat.

Ex leuitate
materiæ.

Non ſufficit
tamen ex de
liberatione
imperſecta.

4. Primus.
Ca. Miror.
17. q. 4.

Secundus
Ca. Veſtra
de Cohabit.
cleric. &
mulier.

cationem minorem: quia illa non erat priuatio pas-
sive susceptionis sacramentorum, sed erat priuatio
cum aliis communicandi, vel potius aliorum cum
ipso, in sacramento, vel administratione sacra-
menti. Quod potius pertinet ad excommunicationem
maiores, vel quandam participationem eius.
Et præterea illa prohibitio, licet antiquo iure in usu
fuerit, nunc autem iam cessauit ex vi Extravagan-
tis, *Ad evitanda scandala*, supra declarata: ut laici
notati in 3. Tomo disputatione 18. sect. 1. & disp. 88.
sect. 6. in fine, & videri potest Couarr. in capit. *Alma*,
§. 2. num. 10.

⁵ Tercius casus est si monia in suscipiendo ordine
ex cap. *Tanta*, de Simonia. Verba tamen illius textus
sunt. *Item omnis peccator Missam cantare potest præter si-
moniacum*: ubi non imponitur excommunicatione
minor; sed solum separatio ab actu cantandi Mis-
sam, quæ potius est suspensio quadam ex vi illius
decreti, & præterea non videtur imponi ipso iure,
ut subiuncta verba declarant, *Quem* (scilicet simo-
niacum) quilibet, ut ab ordine male accepto remouetur,
accusare potest: ergo per sententiam remouendus est,
& non ipso iure remouetur.

⁶ Quartus casus est, accipere Episcopatum vel Ab-
batiam de manu laici ex capit. *Si quis deinceps*, 16.
quæst. 7. verba tamen illius sunt, *gratiam Beati Petri*,
& introitum Ecclesie interdiximus. Quæ verba signifi-
cant, vel suspensionem, ut Glossa exponit, vel per-
sonale interdictum. Quintus casus est de illo, qui in
torneo moritur, & propterea Ecclesiastica
sepultura priuatur iuxta capit. 1. de Torneamentis.
Veruntamen, cum ille non sit priuatus sacramentis,
ut ibidem dicitur, illa non est vera excommunica-
tio minor: neque ullius censuræ propriam rationem
habet, tum quia non obstat reatu illius poenæ, ali-
quis absoluitur à peccatis: tum etiam quia de illa
poena nulla ibi promittitur absolutio, etiam si quis
poenitens moriatur, sed potius illius executio man-
datur: non est ergo censura, sed quoddam aliud ge-
nus Ecclesiasticæ poenæ. Sextus casus refertur ex ca.
Omni viri que sexus, de Poenitentia & remissionibus
propter non impletum præceptum annuæ con-
fessionis, sed ibi nulla censura imponitur ipso iure,
ut superiori Tom. dictum est. Denique quilibet exis-
tens in peccato mortali, præsertim publico, dicitur
esse ligatus hac censura, quia sacramentorum per-
ceptione priuatur, & si in eo statu moriatur, pro eo
non sunt Ecclesiasticæ oblationes, vel suffragia c.

⁷ Quintus ca-
sus.
Cap. de
Torneam.

⁸ Sextus.
Cap. Omnis
de Poenit &
remiss.

⁹ Primus ca-
sus.
Ca. illud,
55 dist.
C. Placuit
23 q. 3.
Cap. Pro di-
lectione, de
consec. 2.

Illud, 97. dist. c. *Placuit* 23. q. 5. c. *Pro dilectione*, de Con-
sec. tamen dist. 2. Sed hæc non est censura, nec impe-
dimentum ab Ecclesia introductum, sed ex natura
rei consequitur ex statu peccati mortalis. Unde non
indiget speciali solutione, sed per absolutionem à
peccato, cum congruente satisfactione iuxta pecca-
ti modum, aufertur. Quod si quis moriens ob defe-
ctum ministri absolui non possit, postea non est ca-
pax alicuius Ecclesiasticæ absolutionis, sed si poeni-
tentia signa dedit, pro illo possunt offerri suffragia
& oblationes: at si non dedit, nec capax est suffra-
giorum.

De excommunicatione minori ab homine.

⁷ Ad hanc
censuram
ferendam
requiritur
iurisdictio.

Dicendum superest de excommunicatione mi-
nori ab homine lata, de qua fere eadem obser-
uanda sunt, quæ de maiore ab homine diximus. Nā
in primis, ut ferri ab aliquo possit, requiritur in eo
iurisdictio: ex omnium sententia, quia licet non sit
tam grauis poena, sicut Maior, est tamen poena, & in
conscientia inducit obligationem. Deinde supra o-
stendimus ad ferendam censuram necessariam esse
iurisditionem fori contentiosi: sed excommunica-
tio hæc censura quadam est: ergo tandem ad tollen-
dam hanc censuram requiritur iurisdictio: ergo
multo magis ad ferendam. Potest autem ferri ab E-
piscopo, & inferioribus prælatis habentibus iuris-

ditionem fori contentiosi, Ita Antoninus tit. de
excommunicatione cap. 79. numer. 12. Syluester
Verb. *Excommunicatio*, 4. num. 2. in fine. Et citant
cap. *Cum ab Ecclesiarum* de Officio ordinarij, ubi ab-
solute de excommunicatione, & interdicto est ser-
mo. Unde, quantum ex iure, eiusque interpretibus
colligi potest, regulariter solus ille minorem exco-
municationem ferendi auctoritatem habet, qui fer-
re potest maiorem, quia potestas iurisdictionis in
foro contentioso præsertim ordinaria, & quæ ex of-
ficio habetur, non est limitata ad hanc censuram
minorem. Et ideo Parochus, sicut non habet pote-
statem ferendi excommunicationem maiorem, ita,
neque minorem, ut recte tradidit Vgolinus tab.
3. c. 1. §. 1. contra nonnullos Canonistas, qui sine suf-
ficienti fundamento oppositum dixerunt.

Atque hinc fit hanc excommunicationem posse
ferri ab homine tam per sententiam generalem, quā
alterius. Addunt Anton. & Syluest. ad hanc censu-
ram ferendam non requiri contumaciam, & conse-
quenter nec præuiam monitionem, & posse ferri ad
definitum tempus. ex cap. *Tanta*, 86. dist. c. *Præsentis*
5. q. 2. cap. *Audi* 11. q. 3. sed hæc sunt vera de exco-
municatione late sumpta pro priuatione vel suspensio-
ne ab usu actiui vel passiuo cuiuscumque sacra-
menti: quia nihil est quod repugnet, & iura citata
fauent, & alia quæ supra adduximus, & talis poena
potest esse proportionata delicto.

Nihilominus tamen, si loquamur proprie de ex-
communicatione, quæ habet rationem propriam
censuræ, hæc nunquam fertur, nisi præmissa saltem
monitione, quæ fit per legem, vel per præceptum la-
tum sub tali censura, ut constat ex his, quæ supra de
censura, in communi diximus, & de excommuni-
catione minori iure lata, est per se notum. De illa ve-
ro, quæ ab homine fertur, vix aliquid probari po-
test ex praxi, quia non est in usu: tamen ex ratione
medicinalis poenæ qualis censura esse debet, quæ nō
tam ad vindicandum delictum, quam ad compri-
mendam contumaciam & inducendum ad alicuius
præcepti observationem instituta est, recte conclu-
ditur excommunicationem etiam minorem, quæ
veram rationem censuræ habet, monitionem ali-
quam legis vel præcepti postulare, & consequenter
non nisi ob aliquam contumaciam ferri debere, &
simpliciter, & non ad certum tempus. Sic enim de
hac etiam censura verum est, quoties aliquis respi-
scit, & Ecclesiæ subiicitur absolutionem petens, il-
lam obtinere debere, sicut de absolutione à maiori
dictum est, & a fortiori à maiori ad minorem potest
sumi argumentum, iuxta cap. *Ex litteris*, de Conlit. &
cap. *Qua fronte*, de Appell. Nam cum excommunica-
tio priuet omnium sacramentorum participationem
etiam poenitentia, quod necessarium est ad statum
gratiæ recuperandum, non est verisimile Ecclesiam
imponere hanc poenam ita præcise pro aliquo tem-
pore, ut non possit & debeat intra illud absolui, li-
cet maxime dispositus sit. Accedit quod hæc censura
propter venialem culpam incurritur, ut constat ex
dictis: esset autem nimis acerba poena nisi ex ole-
niretur, quod facile tolli potest discedendo ab illa
leui contumacia & petendo absolutionem: ergo
quoad hæc omnia feruentur cum proportionem com-
munes leges censuræ in superioribus explicata.

SECTIO IIII.

Quis possit à minori excommunicatione absolue-
re, & quomodo.



Vm dictum sit excommunica-
tionem hanc ab homine & à iure ferri
posse, aliter censendum est de abso-
lutione eius, quando vno vel alio
modo lata est, iuxta principia supe-
riorum.

Rius posita de censuris in communi. Itaque si excommunicatio est ab homine, solus ipse, qui eam tulit, absolueri ab ea potest, vel eius superior, vel qui ab ipsis habeat potestatem delegatam, ut notat Hostiensis in Summa lib. 5. de Excommunicatione, num. 14. §. Et qualiter, Et Gabriel in 4. d. 18. q. 4. art. 3. dub. 6. Et Richard. ibi, art. 9. q. 3. Et ratio est, quia eiusdem est solvere, cuius fuit ligare, dices, Hoc ipso quod excommunicans non reuertitur sibi absolutionem, videtur alibi eam concedere iuxta cap. Nuper de Sententia excommunicationis. Respondetur tantum illud procedere in censura lata à iure, de qua textus ille loquitur. Quia (vt iurista aiunt) mittitur agitur cum lege, quam cum homine, nam hoc ad severitatem iudicij, & humane gubernationis necessarium est. Hoc vero intelligitur de hac censura lata per sententiam particularem: nam de illa que fertur per generalem, probabile est eadem esse de illa iudicium, quod de lata à iure. Quod supra tradit Hostiensis, & generatim à nobis supra dictum est: neque hic sunt plura necessaria, maxime cum hac censura ab homine non sit in usu, vt dixi.

A communicatum posse absolui ab Episcopo, vel proprio sacerdote: ergo non satis est quod sit proprius parochus, nisi etiam sit proprius sacerdos.

Nihilominus dicendum censo, huiusmodi parochum posse absolueri ab hac censura. Probatur nam habet iurisdictionem sufficientem ad hunc actum absolutionis, & aliunde hic actus non requirit characterem sacerdotalem: ergo Maior probatur, quia ille parochus habet iurisdictionem in foro animarum ordinariam ex vi muneris, quam delegare potest, quoad absolutionem à peccatis, quem per se dare non potest, sed cum dicta iurisdictione in foro animarum coniuncta est iurdictio absolueri ab hac excommunicatione, vt supra ostensum est: ergo habet illam prædictam parochus. Cuius etiam argumentum est, quia, quando committit Capellano suo vices absolueri à peccatis, consequenter illi committit iurisdictionem absolueri ab hac censura: nam supra generaliter ostensum est, omnem illum, qui habet potestatem absolueri à peccatis mortalibus, habere etiam ad absolueri ab hac censura. Dices, quamvis per se & ab intrinseco necessarius non sit character sacerdotalis, vt aliquis possit absolueri à censura, nihilominus Ecclesiam noluisse hanc iurisdictionem parochis committere vt per se ipsum illa vtatur, nisi sit sacerdos. Veruntamen, licet Ecclesia hoc facere potuerit, sine fundamento dicitur id fecisse: nam quod in illo ca. Nuper, proprium sacerdotem nominauerit, sufficiens fundamentum non est, sumpsit enim nomen ab eo, quod frequentius contingit: non tamen præscribit vt illa conditio sacerdotis necessaria esset ad talem actum, quod oportuisset explicite declarare, si id institueret voluisset, cum res noua esset, & valde specialis: sicut etiam ibidem nominauit Episcopum, quæ vox absolute sumpta in rigore significat iam consecratum, & tamen non propterea dicendum est consecrationem ad hunc actum requiri. Accidit tandem, quod parochus potest absolueri ad hac censura non tantum in confessione sacramentali, & simul absolueri do à peccatis, sed etiam extra sacramentum: nam ius absolute concedit illam potestatem parochis, & non coarctat usum eius ad confessionis sacramentum: ergo sine causa exigeret sacerdotalem ordinem in parochis ad talem usum. Quocirca, licet concedamus hanc potestatem datam esse parochis in ordine ad absolutionem à peccatis vt ad finem, non tamen est ita concessa, vt usus eius necessario debeat esse coniunctus cum absolutione à peccatis, aut cum characterem sacerdotali. Quæ omnia constât à fortiori ex dictis disput. 7. sect. 2. de Censuris in communi, vbi etiam ostendimus simplicem sacerdotem non habentem potestatem ad absolueri à peccatis mortalibus, neque ab hac censura posse absolueri.

Ad vero de illa quæ iure lata est, vnum est certum sacerdotem proprium, qui potest à peccatis absolueri, posse etiam absolueri ab hac censura. Ita habetur in c. Nuper, de Sententia excommuni. Ex quo multi inferunt omnem sacerdotem habentem potestatem ad absolueri à peccatis mortalibus habere etiam ad absolueri ab hac censura, vt patet ex Richard. & Gabriele supra, & Bonauent. d. 18. quæst. 6. in fine, & Soto, dist. 22. quæst. 3. artic. 2. & Summistis verb. Absolutio. Syluest. Angel. Caietan. & alii, & Syluest. verbo Excommunicatio 7. num. 37. & Hostiensis supra dicit proprium sacerdotem parochialem, vel decessanum, vel eum qui de licentia istorum electus est, posse ita absolueri. Ratio autem videtur esse, quia d. cap. Nuper, concedit hoc proprio sacerdoti: licet autem proprius sacerdos in rigore dicatur ille, qui ex officio ordinariam iurisdictionem, & curam animarum habet, tam in ordine ad internum forum nomine proprii comprehendit potestatem omnis sacerdos, qui vice proprii constituitur ad absolueri à peccatis mortalibus, argumento cap. Omnis viri, quæ sexus, de Penitentia & remissionibus. Quod maxime habet locum in his, quæ conceduntur proprio sacerdoti in ordine ad absolueri à peccatis, cuiusmodi est hæc potestas absolueri ab hac censura: ergo quoties alicui delegatur potestas absolueri à peccatis mortalibus delegata etiam censetur potestas & iurdictio absolueri ab hac censura. Quæ omnia à fortiori patent ex dictis supra Disput. 7. sect. 2. de censuris in communi, & de excommunicatione.

Quærit autem potest, an clericus habens beneficium cum animarum cura, & ordinariam iurisdictionem, nondum tamen ordinatus sacerdos possit absolueri ab hac censura. Quod non habet difficultatem in habente iurisdictionem Episcopalem: nam ille, cum habet iurisdictionem ordinariam in foro contentioso, potest per se ipsum absolueri ab hac censura: quia hæc absolutio non est actus proprius characteris, seu ordinis sacerdotalis; sed est merus actus iurisdictionis, ad quem sufficit prima tonsura iuxta dicta de censuris in communi. In parochis vero inferioribus est nonnulla difficultas: nam illi non habent hanc iurisdictionem ex proprio & peculiari munere, sed ex delegatione iuris, vt supra agendo de censuris in communi declarauimus. Delegatur autem illis hæc potestas, solum vt possint oues suas à peccatis absolueri: quia id non possent facere nisi prius excommunicationem tollerent, quando persona inesset: cum ergo parochus non sacerdos non possit per se ipsum à peccatis absolueri, non censetur illi delegata potestas absolueri ab hac censura. Vnde in d. c. Nuper, expresse dicitur huiusmodi ex-

Fr. Suarez tom. 5.

Resolutio
quoad Pa-
rochos,
Richard.

Resol.

Resoluitur.

De forma
soluendi ab
hac censura

Syluest.

Nā a pro-

Hostiens.

Gabriel.
Richard.

Ca. Nuper
absolutur, ex
penitus.

Ab excommu-
nicato, qui
potest à iure
absolueri.

Richard.
Gabriel.
Bonauent.
Soto.
Angel.
Syluest.
Caietan.

Ab habens
beneficium
cum cura,
& iurisdictionem
ordinariam, &
si sacerdos
nondum sit,
potest ab hac
censura ab-
solueri.
Quod de B.
Hostiens.

propositum obediendi Ecclesie. Si vero acciderit hanc excommunicationem ferri ad resarciendum damnum alteri factum, tunc necessarium erit, eam satisfactionem, vel cautionem exigere, quam ratio iustitiæ postulauerit: nihil enim peculiare circa hoc est iure positivo præscriptum.

DISPUTATIO XXV.

De Suspensione quoad essentiam & species eius.

Multiplex
suspensionis
significatio.

E hac secunda specie censuræ, iuxta consuetam methodum, dicemus prius, quæ ad communem rationem suspensionis spectant, deinde ad singulas iure latas descendemus. Nomen autem *suspensio* multiplex est, latinis enim animi dubiam & incertam euentus expectationem significat: ac deinde corporis suspendium, certumque suspensio generis, quod etiam apud Iuris peritos significat: & præterea dilationem, quæ in usu vel rei expeditione interponitur: sic enim dicitur suspendi sententia, officium, &c. Præter hæc vero applicata est hæc vox in iure Canonico ad significandam quandam speciem censuræ: nam licet interdum latius sumatur, ut pro interdicto ab ingressu Ecclesiæ cap. 1. de Sentent. excommuni. in 6. & pro impedimento utendi aliquo temporali munere, Extrauag. vnic. Ioannis XXII, de Sent. excommuni. quæ non est pœna spiritualis nec propria clericorum, nec censura: nihilominus strictè sumpta significat pœnam spirituales propriam clericorum, ac censuram, de qua hic est sermo. Supponimusque dari hoc genus censuræ & pœnæ, esseque ab aliis distinctum, iuxta cap. *Quærenti*, de verbo. significatione & superius dicta de censur. in communi, quæ in sequentibus clariora fient: ubi etiam explicabimus quomodo interdum hæc pœna, licet spiritualis sit, non sit propria censura.

SECTIO I.

Quæ sit propria ratio huius censuræ.

Ratio dubi-
tandi.

Ratio dubitandi est, quia propriæ differentie censurarum non possunt explicari nisi in ordine ad effectus suos: nam, cum censura nihil aliud sit, quam spirituale quoddam vinculum priuans hominem usu aliquorum bonorum, seu ligans, vel impediens illum in ordine ad aliquos actus, non potest propria eius ratio sine habitudine aliqua ad proprios eius effectus intelligi. At vero suspensio nullos effectus proprios habere videtur, quos excommunicatio, vel interdictum non habent; & ideo difficile est propriam illi differentiam, seu rationem assignare. Nam ad summum poterit distingui ab excommunicatione maiori tanquam pars à toto, seu tanquam magis vel minus prohi-

bens: quomodo distinguitur, etiam excommunicatio minor à maiori: erit ergo suspensio tanquam quadam excommunicatio minor, non vero propria species censuræ.

Definitio suspensionis.

In definitione suspensionis tradenda, varie loquuntur Doctores, & Summistæ: omnis vero multis, quæ referre inutile esset, breuiter dicendum est, Suspensionem esse, Censuram quandam Ecclesiasticam, qua minister Ecclesiæ impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquaque Ecclesiastica potestate viatur. Quæ definitio quoad genus constat ex dictis: & per illud excluditur ab hac consideratione mortale peccatum, quod ab aliquibus suspensio appellatur: quia per illud impeditur sacerdos ne sacrum faciat, donec ab illo absoluitur. Sed impropria est locutio: quia illud impedimentum nec est pœna, nec censura Ecclesiastica, nec est humano iure introductum, sed intrinsece concomitans talem culpam. Deinde per illud genus distinguitur hæc suspensio in vniuersum & ab irregularitate, & ab omni pœna Ecclesiastica quæ censura non est, & specialiter ab omni genere suspensionis, quæ non per modum censuræ, sed tantum per modum pœnæ imponitur, quod est frequens in iure. Quotiescumque enim suspensio imponitur solum ut delictum puniatur, & non ut à contumacia recedatur, non habet rationem censuræ, sed solius pœnæ, iuxta principia posita de censuris in communi. Quod autem sapius feratur suspensio in hunc modum, constat ex cap. *Tam liberis*, de Testibus, & cap. *Cum in cunctis*, s. vltim. de Electione in 6. & Clement. prima. s. penultim. de Hæreticis. & Clement. secunda de Pœnis. Traduntque Canonistæ his locis, & Innocentius in cap. 1. de Excessibus prælatorum, numer. 3. & Abbas in cap. *Reprehensibilis*, in 3. & cap. *Sæpe*, numer. 16. de Appell.

Differtque præcipue inter utramque rationem suspensionis, quod illa quæ est pœna, & non censura, imponitur ad certum tempus; quæ vero est censura non potest habere terminum præfixum. Prior pars constat ex iuribus citatis, & ex cap. 1. de Sententia excommunicationis in 6. & cap. 2. de Temp. ordin. in 6. & ratione; quia suspensio est pœna proportionata culpæ: ergo quo maior fuerit culpa, eo diuturnior erit suspensio; & consequenter proportionata culpæ talem habebit præfixum terminum. Item in hoc differt (inter alia) à depositione, quod depositio est perpetua, & sine spe restitutionis, ut infra dicemus, suspensio autem esse potest ob certum tempus. Vnde, cum illa suspensio, quæ est pœna, respiciat tantum culpam præteritam, & non respicientiam in futurum, nam in hoc differt à propria censura: non repugnat ut in præfixum terminum feratur. Altera vero pars constat ex superius dictis de censuris in communi, ubi ostensum est, nullam propriam censuram posse ferri ad præfixum tempus. Et ratio sumitur ex contrario fundamento: nam illa suspensio, quæ est censura, præcipue fertur ad reprimendam contumaciam, & ut homo à culpa recedat: ideoque non potest habere alium terminum, nisi, donec recedat ab illa. Vnde est alia differentia, quod suspensio quæ est tantum pœna, non requirit præuiam monitionem, quia fertur propter culpam præteritam, etiam si non habeat tractum (ut aiunt) successuum: at vero suspensio, quæ est censura, semper requirit monitionem præuiam, saltem illam, quæ includitur in illa conditione, *Si hoc feceris, vel, Nisi satis feceris*, ut supra generatim dictum est. Demum ex eodem principio oritur aliud discrimen, quod, quando suspensio est pura pœna, & ad certum tempus ponitur, illo elapso per se cessat, sine alia